

ponimus, degradamus, spoliamus, & eximus se
omni Ordine, beneficio, & hinc Regis Clericali.

Non solum autem spoliatur vestibus, & insignibus Ordinum, sed etiam veste talari, aut habitu Religioso. Insuper raditur in capite, & si est Sacerdos, in manibus; idque ad terrorem tantæ condemnationis. Sic spoliatus signo calcei repellitur, & inde traditur, ac relaxatur iudicii seculari, ut ejus jurisdictioni tanquam purè laicus subdatur. Inde per satellites ad Curia secularis carceres ducitur ultimo supplicio plectendus; Episcopus tamen à iudice seculari petit, ut misericorditer agat, & Reum citra mortis vel mutilationis poenam puniat. Atauo *ir. 1. qu. 4. num. 15. Clericatus cap. 153. num. 13.*

CRIMINA OB QUÆ CLERICUS EST DEGRADANDUS, ET RELAXANDUS

4542 Jure Canonico sunt tria, 1. Crimen hæresis manifestum, *cap. ad abolendam, cap. Excommunicamus, de Hæresis, & cap. 1. eodem tit. 20. 6.*

Requiritur, quod Reus sit relapsus, vel negativus, seu impenitens, convictus tamen per legitimos testes, etiam super credulitate, & pertinacia.

4543 Secundum est falsificatio litterarum Papalium, *e. ad falsarium, de crimine falsi.*

4544 Tertium est gravis calumnia proprio Episcopo illata, *e. si quis Sacerdotem 17. 11. qu. 1. Requiritur incorrigibilitas. Glossa in e. cum non ab homine 10. de iudicis, Abbas, cap. At si Clerici num. 37. eod. tit. Suarez de Conf. disp. 30. sect. 2. n. 4. Dicallillo de Conf. 17. 10. d. 2. num. 24. Qui addit, hoc esse commune omni crimini enormi, alioquin in laico mortis poena digno; ut à n. 781. ad 790.*

4545 Ex constitutionibus Pontificiis adduntur, 1. Sodomia frequentata: S. Pius V. *Conf. 72. Horrendum dicitur*, 2. Clericus non Sacerdos Missam celebrans, aut Confessiones audiens, & absolvens. *Clm. VIII. Conf. 81. e. fultus*, 3. Solicitans in Confessione mulieres ad turpia conversatione effusa: Greg. XV. *Conf. 34. Quasi*, 4. Monerari, vel monetas tendentes, aut falsificantes lura Italiam. Urb. VIII. *In supra*, anno 1627. *in n. n. 790. 5. Copulam sacrilegam, & frequentem cum Moniali habens Pignatellus 18. e. consul. 91. n. 7.*

Sed attendenda est praxis; nam in pluribus nempe in 2. & 3. casu praxis est contraria.

LAUS DEO.

4546 Denique Phœreus *lib. 3. tit. 18. habet* Generaliter omne crimen enorme, quod fit dignum poena mortis in laico, ubi per Ecclesiasticas poenas corrigi non possit, satis esse, ut Clericus propter illud seculari potestati tradatur; colligitur ex *cit. cap. Cum non ab homine, 10. de iudic. & notat Panor. in cit. cap. At si Clerici 10. eod. num. 39. & 109. Laym. in cit. c. 5. num. 6. alii- que apud ipsum.*

4547 Idem habet Joan. Dicallillo *17. 10. disp. 6. dub. 2. num. 25.* (Universaliter loquendo, sive de iure, sive de consuetudine, docent non pauci Auctores, degradari posse ob aliud crimen nimis enorme, atque Reipublicæ valde perniciosum, tradique Magistratui seculari. Ita Panor. *in cit. cap. At si Clerici, numer. 39. & cap. Cum non ab homine num. 6. de iudic. Silvest. verbo degradatio, qu. 2. Toletus supra cap. 5. Tertio est: Avila cit. dub. 3. Molina disp. illa 49. Exemplum adhibeat in homicidio non simplici, sed qualificato, ut constat ex eodem cap. Cum non ab homine. Unde Parricidium, vel simile quid, tali poena dignum est. Item furtum non simplex, sed valde qualificatum, ac sacrilegum; nam cum pro his criminibus Ecclesia non habeat conditionam poenam, merito reus iudici seculari remittitur.*

4548 Demum n. 30. subdit (Pro praxi est maxime notandum, Magistratum secularium in causa criminis merè Ecclesiasticæ, v. gr. in causa hæresis, non posse cognoscere, & iudicare de tali crimine, sed tantum secundum latam declaratoriam sententiam à iudice Ecclesiastico exequi, juxta *e. us inquisitionis, 5. Prohibemus, de Hæres. in 6. in crimine vero non merè Ecclesiastico potest petere à iudice Ecclesiastico processum, ut illius iustitiam cognoscat, & examinet, & deinde reum sibi traditum, sive qui fori effectum puniat. Ita Panoritanus c. 1. n. 12. de Offic. Ordin.*

Sed quantum ad hoc, omnino vide *dist. à n. 4452. ad 4471. maxime à n. 4469. ad 4471. quibus me remitto, & adhæreo.*

De Irregularitate, & pœnis, fusè agunt Fagnanus *lib. 4. c. ad audientiam, de homicidio, Phœreus in inst. Canon. tit. 18. c. 19. & alibi sub propriis titulis, Maltrius disp. 13. qu. 5. Leander 10. 5. de pœnis; Tamb. 10. 2. lib. 10. tit. 4. Joannes de exte- rientis, 17. 8. & pluribus in locis, & Joannes de Cas- sillo de Censuris disp. 6. & 7. Ant. à Spir. S. de Cen- suris & Pœnis, 17. 13. Matthæucci in Offic. Curie 10. 2. cap. 8. à pag. 117. Mendo in suis titulis.*

EXA-



EXAMEN CONFESSARIORUM.

Tomus Secundus.

DE DENUNCIATIONIBUS.

PARS PRIMA,

De Denunciationibus faciendis ad Monitoria
Papæ, & Episcoporum.

CAPUT I.

De Superioribus, qui possunt Monitoria edere.

DE Summo Pontifice nulla est difficultas.

Quantum ad alios, soli Episcopi ex *Trid. sess. 25. de reform. cap. 3. possunt monitoria, seu edicta edere pro rebus, aut scripturis deperditis, seu occultatis, ad finem eas restituendi, aut revelandi, sub excommunicatione majori lata sententia, ipso facto incurrenda, restitutione, vel revelatione non facta intra certum terminum.*

2. Ea concedere possunt Vicarius Capituli sede vacante, *Rodrig. com. 1. cap. 71. n. 6. Diana p. 8. r. 4. ref. 17.* quia Capitulum sede vacante succedit in jurisdictione ordinaria Episcopi.

3. Generales Religionum, eorum Visitatores, & Provinciales, qui habent auctorita-

tem quasi Episcopalem: item Abbates Benedictini, & similes Prælati, qui solam sunt Generali subiecti: quia pro Episcopis habentur. *Innoc. ex cap. 1. de Cleric. peragranis.* Non tamen Priors, Guardiani, & similes Superiores locales, qui alios Superiores majores habent subitus Generalem. *Tancr. com. 5. r. 4. g. 2. n. 1.*

Adeoque Superiori locali, v. gr. Prior, Guardianus, &c. si monitorium ad finem revelationis pro rebus deperditis, aut substractis edat, invalidè edit, quia in hac re non est iudex competens, ob *Decr. Concil. Trid. modò sub num. 5. adducendum, quod licet non excludat Prælatos Regulares auctoritatem quasi Episcopalem habentes, uti sunt Provinciales, qui quidem jurisdictionem habent supra totam Provinciam, & Confessiones, dimissiones, abolutiones, dispensationes, &c. suis subditis concedendo, quæ munera soli Episcopi præstare valent, excludit tamen Superiores locales; quoniam certum est, eos non habere auctoritatem quasi Episcopalem.*

Eos tamen posse monitoria edere in suis

li 2 Mo.

Monasterii, non quidem ad finem revelandi pro rebus deperditis, aut subtrahitis, sed pro aliis delictis, docet cum permissis Melchiori de panis cap. 28. quæst. 1. & 2. quia sunt Prælati habentes administrationi conjunctam jurisdictionem cum vi coercitiva, sine qua inutilis est eorum jurisdictione, utpote intermissis, discipline regularis gladio destituta; ac proinde excommunicare possunt, etiam in scripto, ut cap. cum in Eccles. de major. & obdiant. non quidem per modum statuti, & legis, sed per modum præcepti, ut fit per monitorium. Hinc in Religionibus, ubi Apostolatæ, seu fugitivi non sunt excommunicati à jure, potest Superior localis suum subditum pro monitorio, & sub excommunicatione, ut v. g. intra tres dies ad Monasterium redeat, revocare.

Dispensatum autem de excommunicatione pro rebus deperditis, assert Melchiori cit. quia hæc solæ esse solentur, ac majori gravitate, & circumstantiæ excoranda; atque idè ad majores Prælatos reservatur private quoad Prælatos locales.

4 Potest Episcopus monitorium ferre contra testes ad dicendam veritatem, antequam lis sit incepta, quia veritas omnibus vis indaganda, nec probandi facultas est restringenda, ut cap. de probationibus, Abbas conf. 15.

Item potest illud ferre non solum post litem inceptam, ut est certum; sed etiam si sit mota coram iudice seculari, & non obstant litem pendente coram ipso iudice seculari. Tancr. cit. quæst. 6. & apud ipsum Raynaudus de vniuers. part. 1. cap. 1. g. 13. & alii contra Nevizan. Insuper potest monitorium edere delicto jam constante, siue jam fit factum, siue in fieri pendens in futurum.

QUÆRES I

5 Pro quantâ materia potest Episcopus monitoria concedere?

IN hæc regulam dat Trid. citat. num. 1. his verbis:

Quamvis excommunicationis gladius, nervus sit Ecclesiastica disciplina, & ad constituendos in officio populos, valde salutarius; sobrie tamen, & iniquo circumspessione exercendus est: cum oportet doceri, si temere, aut leviter ex rebus incutitur, magis cavendum, quam saltem. Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitoriis præmissæ, ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis, seu subtrahitis rebus ferri solent, à nomine profuso, præterquam ab Episcopo, & dicer-

antur, & tunc non aliter, quàm ex rebus vulgari, causaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata.

6 Et quia minus iure gravi, quanta est exponere ad perniciem, & contempnum censuras datas ad salutem, peccant mortaliter prælati Superiores monitoria concedendo pro re vulgaris, & sine mauritate, ut tom. 2. de casibus reservatis.

7 Licet quantitas duorum Juliorum in materia furti, & duorum aureorum in materia voti paupertatis, sufficiat ad mortale, non sufficit ex se, ut pro ea possint sine mortali monitoria concedi, sed requiritur major quantitas, sicut major requiritur ad incurrendas poenas Clem. VIII. de largi. munerum; requiritur, inquam, talis quantitas, quæ fit materia subjecta poenis fori externi, & punibilibus in iudicio summa modica, ex l. solum 15. fin. iuslta l. sep. Pelliz. tr. 6. s. 9. n. 10.

8 Hinc ex Tancr. citat. quæst. 1. num. 2. & Zecchilo; apud ipsum res vulgaris, pro qua non possunt monitoria sine mortali concedi, est, si non ascendat ad summam decem aureorum. Iud. Episcopi neque pro hac summa solent monitoria concedere, nisi excedat viginti aureos.

9 Dixi, ex se, quia summa duorum aureorum, aut alia in se parva, potest esse gravis, & non vulgaris in iure ex circumstantiis: figuratur casus.

QUÆRES II

10 In Monasterio bene disciplinato Religiosorum, ubi cella claudi non solent clavibus, & cella uniusvis ablata res valoris quinque Juliorum.

An Superior Provincialis pro ea monitorium edere possit?

SUPpono 1. juxta sententiam plurimum Doctorum de pauper. Reliq. & furtis Religiosorum, ablatam materiam esse levem, tam in ratione paupertatis, quàm furti: de quo in tom. 1. est mea resolutio.

2. Superiorem alias diligentias egisse, sed inutiliter. His suppositis,

1. Resp. posse, Tancr. cit. quæst. 4. & apud ipsum Suarez, Tambur. de iure Abb. & alii; ratio est, quia licet materia fit in se levis, est tamen determinata, eique est adjuncta ratio spiritualis publici boni, nempe ad pacem communem, ad bonum Monasterii, & ejusque disciplinam servandam; & ratio à Superiore in Monasterio respicitur, & gravem inducit obligationem in subdito ad restituendum, & vel revelandum, quam

quamvis materia in linea iustitiae sit levis: evadit enim gravis in linea obedientiæ.

2. Declaratur ex cit. DD. Quando materia est ex se levis, tunc, cum non inducat obligationem gravem ex vi iustitiae, addi debet præceptum Superioris, & sic eam inducit ex vi obedientiæ. hoc autem præceptum non debet addi pro re, hoc autem præceptum, in qua appareret a iustitia spiritualis ita gravis, ut sufficeret ad indicandam obligationem gravem, quæ scilicet respicit bonum communitatis; & pro ea imponitur excommunicatio, quæ quidem, cum fit gravissima poena, non debet ferri pro veniali, nec pro quoque peccato mortali, sed pro mortali inobedienciæ, & contumaciæ; neque pro quolibet inobedienciæ, sed pro gravi, & enormi, quod aliter curari non potest.

Ita res se habet in casu, ubi monitorium sub excommunicatione fertur, non ad reparandum bonum temporale persone læsæ, nec ad spirituale persone particularis, nempe ad impediendum peccatum mortale persone, & ad restituendum peccatum bonum spirituale communitatis, quod consistit in pace communi, & in Regulari disciplina: hinc concludit Tancr. in hoc casu monitorium obligare a revelandum furtum rei levis, alias minime, ut in tom. 1. de casibus reservatis.

3. Item dicendum puto de Episcopis quoad suas Moniales, & de Superioribus Provincialibus Religionum in suis Monasteriis, præsertim pro juvenibus secundæ Novitatus, ad eorum disciplinam servandam, quæ laxatis habentis rueret.

QUÆRES III

15 In quodam populari tumulis plures deprædant sunt domus cujusdam nobilis. Episcopus monitorium edidit, ut sub poena excommunicationis, qui detineret bona talis domus, restitueret, & qui detinentem sciret, revelaret. An tale monitorium obliget ad restituendum, aut revelandum eum, qui detinet, aut qui scit detinentem rem levem?

RESPond. vel ille fuit simul cum aliis ad furtum, & tunc, licet furatus sit rem levem, peccavit mortaliter, & tenetur ad restituendum totum damnus in solidum in defectu aliorum, cum iure ab eis repetendi, quia fuit causa partialis partialitate causæ, sed totalis totalitate effectus, ratione mutui comitatus, qui fuit cautionis, ratione mutui furti, quod proinde totum attribuitur singulis, & multo magis si alios excitavit. Et talis detentor, sicut & illum sciens, ligatur monitorio, ita ut teneatur sub censura ad restituendum rem levem, & respective ad revelandum.

Examen Ecclesiast.

16 Quod si intra terminos monitorii sciat alios restitutos, non tenetur sub mortali ad restituendum, nec ligatur monitorio; quia licet graviter deliquerit rem levem (surripiendo, leviter deliquit eam detinendo: tenetur quidem restituere, sed ex vi iustitiae, & sub veniali, minime ex vi obedientiæ, seu monitorii, & sub mortali, quatenus ex iustitia commutativa læsæ certum obligatio ad restituendum conformis qualitati culpe in accipiendo, aut detinendo, quæ in isto, læsæ aliorum restitutione, est venialis.

17 Vel fuit furus, & tunc, si nescierit, & nesciat alios furatos esse, utriusque non tenetur sub mortali ad restituendum, & consequenter non ligatur monitorio, quia non cooperatur formaliter, sed solum materialiter ad damnus notabile alterius.

18 Difficultas est, si ille, quodam furatus est, sciverit alios esse furatos, aut si id sciat postea promulgato monitorio, Tambur. lib. 8. tract. 2. cap. 3. §. 3. n. 2. Bufemb. lib. 8. tract. 1. dub. 3. n. 3. cum aliis dicunt, eum non peccare mortaliter, adeoque non ligari monitorio, quia hic non est causa furti alterius.

19 Dico tamen, istum obligari ex vi monitorii, & sub censura, ad restituendum, ac respective ad revelandum, Tancr. cit. q. 1. n. 8. peccavit enim graviter, cum tali scientia rem levem accipiendo, & si tunc ignoravit, adventente notitia, incipit peccare graviter detinendo, Bonac. to. 1. de oblig. denunc. disp. 6. pag. 895. n. 9. tom. 2. pag. mibi 538. n. 6. & alii in to. 1. de furto; quia licet ille, instante scientia, quod alii furti ab eodem, non sit causa impulsiva ad furtum aliorum, est causa cooperativa ad notabile damnus alterius; licet enim lingui quid leve peccaverit, omnia tamen hæc levia notabile damnus conlignunt, quod cum possit reparare, si lingui restituerit, quod acceperunt, lingui peccant mortaliter detinendo, & consequenter lingui monitorio ligantur.

QUÆRES IV

20 Hæres ab infestato succedens pretendit, restitutum Petri in personam Pauli extranei esse nullum, utpote factum ab eo, quando erat infestus destitutus; & quia restes in restamento scripti reculant veritatem aperire, nisi coacti, petiit ab Episcopo monitorium, ut qui nullatenus restamento scirent, revelarent. An possit Episcopus monitorium concedere?

ALiam proponit Tancr. cit. quæst. 3. cum quo

21 Videtur, quod non possit. 1. Quia monitoria non sunt concedenda, quando fuit infamatoria alicujus; Probis in cap. 2. de

Constit. & alii; tale est praesens, nam ex hac revelatione sequitur infamia, quod Paulus, & Notarius testamentum fecerint cum fraude. 2. Quia nec sunt concedenda, quando persona sunt cetera, ita ut si debitor, aut delinquens sit certus, non teneatur aliiposito monitorio revelare, Barb. in Concil. Trid. sess. 25. de ref. c. 3. num. 2. Scutus, & a ii: sic est in casu, ubi testes sunt certi, quia scripti.

22 Resp. autem Tanct. posse Episcopum monitorium concedere, & eo testes obligari ad revelandum. Quia cum quilibet sit praesumendus bonus, nisi certo constet, quod sit malus, praefatum debet, quod nec Paulus, nec Notarius adverterint, Petrum esse jam senibus delictum: & sic ex revelatione non sequitur eorum infamia.

23 Nec obstat, quod testes sint certi: quia posse monitorium ferri contra testes, quando sciunt, & renunt veritatem dicere, docent Oliva, & alii, quos refert Barbos. de potestat. Episcop. allegat. 96. nu. 17. & Riccius par. 1. dec. 219. qui in Praxi Rerum fore Eccles. dec. 275. n. 7. ulterius addit:

24 Posse concedi monitoria contra confisos simulati contractus in grave tertii praesudicium, ut puta, si quis fidei, & apparenter fecerit donationem, &c. praedicti alicui exempto, ut à collectione, & rivalium onerum solutione liber esset, quia cum hoc tendat in praesudicium, & damnum illorum, ad quos postmodum pro rata varione huiusmodi collectione solvendi onus spectabit, iuxta tradita per Dominum Joannem Baptistam, *Constit. in re. de par. rata. quae 149. num. 2. & q. 157. in hoc casu. & similibus ad monitoriales iure recurri possunt, & testes de hac re edocti tenentur manifestare, & simulationem detegere, ne tales fraudulenter cum aliena iustitia incipientur.*

25 Concedit autem Tanct. cit. q. 4. quod possit Paulus appellare à Decreto Episcopi de concessione edicti: quia Decretum concessionis edicti aequivalat Decreto, testes admittendos esse, vel non, ex Lanfranc. decis. 125. à quo Decreto conceditur appellatio, ex Bal. leg. post. sententiam, ver. pone ergo, Cod. de sent. interloc. omn. iudic.

26 Qua appellazione pendente, praefati testes non tenentur revelare, ex cap. Dilectis, de appell. c. liceat, de senten. excom. in 6. Tanct. cit.

CAPUT II.

De illis, qui ex vi Monitorii denunciare tenentur.

27 Denunciatio est criminis proximi manifestatio facta Superiori. Est duplex, paterna, seu Evangelica, quae fit Superiori tanquam patri, quaque bonum, & emendationem fratris intendit; & judicialis, quae fit Superiori tanquam iudici, ut suo munere faciat, quod iudicaverit expeditis, sive delinquentem puniendo, sive damnum reparando, sive utrumque faciendo. Denunciatio canonica dicitur talis, quatenus est ex Regula Evangelica, iuxta illud Matth. 18. *Quod si eos non audiverit, dic Ecclesiae*; vel ex praepcepto Superioris Ecclesiastici, sed non distinguitur à paterna, vel judiciali; quia vel fit Superiori tanquam patri, & sic est paterna; vel tanquam iudici, & sic est judicialis.

28 Denunciatio judicialis, alia est spontanea, alia ex praepcepto Superioris. Prima obligat ratione charitatis, secunda ratione charitatis, & obedientiae, de qua est sermo in praesenti.

29 Hinc revelatio fieri debet iudici cum Notario in scriptis, quia fit, ut pars ea utri possit, & Ecclesia valeat per eam delinquentem revocare à peccato.

30 Denunciatio judicialis ab accusatione differt, quia accusator suscipit in se onus probandi, quod si non probet, subicitur poenae rationis; non sic denunciator, licet teneatur manifestare testes, si qui sint, iudici, qui in se sumit onus probandi.

31 Qui denunciare tenetur, non liberatur ab onere, si promiserit, & iuraverit se non denunciaturum; quia iuramentum de re illicita non tenet, quoniam non est vinculum iniquitatis, cap. quanto, de iurjurando.

Si non est culpa.

32 Qui non revelando excusatur à culpa mortali, excusatur ab excommunicatione; quia hac necessario supponit tanquam materiam culpam mortalem, numer. 107.

33 Propterea, quando edictum praecipit denunciari fures, aut iniustos detentores, non est denunciandus, qui detinet ob iustam compensationem, aut aliam iustam causam, etiam si peccaverit accipiendo,

do, quatenus poterat alia via, aut sine scandalo, &c. suum recuperare; quia est iustus detentor, Bonacin. tom. 2. de oblig. denunci. disp. 6. pag. 894. nu. 1.

34 Nec sciens huiusmodi detentorem, tenetur cum revelare, si sciat, eum detinere ob iustam compensationem, & ad non restitueret ob impotentiam, vel aliam iustam causam, puta, quia scit, creditorem abusurum fore re restituenda, &c. Bonac. citat. n. 3. & 4. quia sicut liberantur in his casibus à culpa, & censura ipsi principales, ita & eos sciens, & nullus tenetur innocentem prode; eo maxime, quia mens iudicis est inquirere de delicto; & hac ratione, reus iudice interrogatus à iudice de homicidio, respondere non tenetur, si illud sine culpa commisit, puta ob iustam sui defensionem, Diana part. 3. tract. 5. resol. 66.

35 Tenetur autem sciens revelare eum, qui est impotens in totum, si possit quoad partem restitueret, aut pro futuro tempore, nisi sciat, eum esse paratum ad restituendum cessante impotentia, Bonac. cit. quia sicut delinquens non excusatur simpliciter à restitutione, ita nec sciens à revelatione.

36 In dubio de iusta compensatione, impotentia, &c. facienda est denunciatio, nisi rationabiliter deponatur dubium, quatenus eam audivit à fide digno, &c. Bonac. citat. num. 6. quia possessio stat pro praepcepto Superioris, quod est certum, & solum dubia est excusatio.

Dammum grave sui, aut suorum.

37 Non tenetur quis denunciare in causa propria, seu in delicto commisso in damnum; quia potest offensus injuriam, & damnum remittere iuxta Consilium Evangelicum: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus, &c.* Contra quod non debet praesum Superiorum velle obligare, Bonac. cit. pag. 892. §. 3. n. 1.

38 Excipitur, si denunciatio praecipitur in bonum publicum, seu in punitionem delinquentis, uti sunt denunciations in causa fidei; quatenus enim Superior in edictis pro delictis, etiam contra privatam personam commissis, punitionem intendit, intendit bonum publicum, nempe ut exemplo, & timore poenae, alii coercantur à malo, ac securus vivat; id solum contingere in delictis homicidii, furti, adulterii, & similibus, quae graviter publicam pacem, & securitatem turbant, nu. 65.

39 Non tenetur denunciare, si ex denuncia-

ciatione prudenter timeat tibi, aut suis damno ad quartum gradum, aliquid grave damnum contra aliquod ex quatuor bonis hominis, animae scilicet, corporis, famae, & substantiae corporalis, quod fit praesertim damnus alterius, Bonac. cit. Diana part. 9. tract. 8. resol. 48. quia praepcepta humana, & positiva, non obligant cum tanto incommodo. Hinc nec testis iudice interrogatus à iudice, tunc respondere tenetur: unde fit Bonac. I si privatim novissi aliquid delictum, & dignoscas, quod delinquent sciat te scire, non teneris denunciare, si exinde grave malum tibi times, aut tuis, quia malum tuorum valde conjunctorum est etiam tuum, cum illud acriter sentias, & forte plus: *vid. num. 113. & 123.* Hinc fur occultus non tenetur re prode; curare tamen debet, ut res restitatur domino per amicum fidelem, aut probum Confessarium: *nu. num. 179.*

40 Non tenetur quis ex vi monitorii denunciare conjunctos intra quartum gradum, etiam si non adsint alii testes, Tanct. to. 5. tract. 4. qu. 20. Diana par. 5. tract. 13. resol. 66. qui ex Raynaudo de monitoriis pag. 1. cap. 3. quest. 20. & 14. Lopez, Avila, Silv. Baumus, & alii apud Dianam par. 8. tract. 7. resol. 10. qui cum Excoar id tenent, tam de consanguineis, quam de affinis usque ad quartum gradum. Quorum ratio est, quia non debet lex Ecclesiastica cedere in benignitate legi civili, ut velis eos ligare, quos lex civilis non obligat; tum quia si conjunctus ageret ut denunciator, aut testis contra conjunctum, orientur inter familias, & conjunctos dissensiones, & odia, & tolleretur domorum pax, quod valde nocet Republicae; ex qua ratione Raynandus, & Diana eos à denunciando eximunt, necdum in causis criminalibus, verum etiam in civilibus; ac insuper rejiciunt limitationem, quam facit Bonac. tom. 1. dispur. 6. cit. §. 3. num. 5. quod praedicti teneantur denunciare, si valeant sine gravi damno sui, aut suorum; reijciunt, inquam, quatenus à tali revelatione non potest grave damnus abesse, puta discordiae, & odia. Ceterum licet regularetur ita sit, infra tamen ostendimus casum, in quo nullum ex revelatione conjuncti damnus sequitur: *vid. num. 122. & seq. & num. 128.*

41 Iisdem rationibus non tenetur maritus uxorem revelare; quia sunt una caro, nec gener, & nurus facerem, & è converso; Doctores. citat. quia sceler succedit loco patris, & gener, ac nurus veniunt nomine patris, & gener, ac nurus veniunt nomine pa-

liorum; taliter, ut sicut filii non incurunt excommunicationem communicando cum patre excommunicato vitando; ita nec gener, & nurus communicando cum socio excommunicato vitando; ut, cum de censuris, diximus.

42. Imo Genevius, Angelus, & Silvester *ver. familia*, apud Bonac. *cit.* id extendunt ad familiam; nam ex revelatione facta à familiari oriuntur discordiæ inter familiares, sicque tolleretur quies, & pax domus; hinc commune bonum familiaris, & Reipublicæ exposcit, ut evitentur dissensiones inter familiares; quod ipse Bonac. amplectitur, quando denunciari non esset periculum gravis damni.

43. Idem tenent de amico conjunctissimo, seu archæ amicitie, & de miseri benefactore, Raynaudus, & Diana *cit.* quia eorum revelatio graviter exasperaret, & feritatem, aut non leviem ingratitude redoleret. Oppositam autem sententiam, nimirum personas privilegatas, nempe consanguineos, uxorem, &c. teneri ad denunciandum, aut testificandum, quando non sunt alii testes, aut qui denunciare valent, tenent Venerus *lib. 2. c. 10. nu. 18.* Montalvus *lib. 2. legum fori, tit. 8. Sanchez in consil. lib. 6. c. 11. dub. 18. n. 9.* & alii, quos refert Diana *p. 8. cit.* ex Gloss. in *cap. Quamquam 12. qu. 2.*

44. In resolutis à 41. pro sententia excusante, excipitur casus, quo ex non revelatione immineret grave damnum Reipublicæ, puta, si ex non revelatione conspirationis civitas esset tradenda hostibus; tunc quidem tenetur filius revelare patrem, etiam cum periculo suæ vitæ; quia tenetur quis propriam exponere vitam pro salute patriæ.

45. Nemo tenetur ex vi monitorii revelare se ipsum, & consequenter nec complices delicti, nisi quando juridice interrogatur, Bonac. *cit. num. 3.* quia revelatio cederet in sui damnum; tunc autem juridice interrogatur, quando præcedit infamia, vel semiplena probatio, aut indicia sufficientia, quæ illi æquivalent, Aret. *in practica crim. pag. 225. & 240.* Melphi *ver. Res:* tenetur vero sub excommunicatione resistere.

46. Filius spiritualis tenetur patrem spiritualem denunciare; qui etiam potest esse testis contra illum, Bonac. *cit. n. 6.*

TERMINUS.

47. **U**bi non denunciatur intra terminum in edicto præscriptum, qui solet esse octo, vel quindecim dierum, peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem, nisi ex justa causa excusetur, vel nisi sit legitime impeditus, aut ignoret monitorium: *v. à n. 642.*

48. A qua excommunicatione à nullo potest absolvi, nisi satisfacta parte, nempe nisi obediat; nam elapso termino non expirat obligatio, sed semper tenetur revelare, cum commode potest, nisi cesset præceptum, puta si cesset ejus finis, &c. quia terminus non ponitur ad finendam obligationem denunciationis, sed ad maturandum, & sollicitandum denunciationem; & talis censura absolutio in monitorio reservatur: *v. à n. 731. ad n. 647.*

49. Eum, qui intra terminum non revelavit, ob ignorantiam edicti, impedimentum, aut aliam justam causam, adveniente ejus notitia, aut cessante impedimento, elapsam terminum, non amplius obligari ad revelandum ex vi monitorii, tenet Tancr. *tom. 5. tract. 4. qu. 7. nu. 5.* Sanchez, Raynaudus apud ipsum, quia hujusmodi edicta non habent rationem legis, & constitutionis universalis, sed simplicis mandati, ac præcepti concessi ad partis instantiam, ac proinde sunt transitoria: hinc est, quod dentur pro determinato tempore octo, aut quindecim dierum. Quod si nullum adveniat tempus, non durat, nisi per spatium duorum, aut trium mensium, Sanchez *lib. 6. conf. cap. 2. dub. 35. n. 5.* cum aliis. Tum quia ille non fuit in culpa non revelando intra terminum, nam tunc ignoravit edictum, aut fuit legitime impeditus: *v. n. 242.*

50. Eum autem teneri sub censura ad revelandum adveniente notitia, aut cessante impedimento extra terminum, docent Bonac. *tom. 1. pag. 897. num. 2.* & apud ipsum Suarez, & Rodr. Filius. nisi censura sit lata solum contra contumaces præteritos, qui intra terminum jam elapsum non revelaverunt. Cui sententia adhaeret cum duplici limitatione. 1. Quod tempus notitiæ, aut impedimenti ablati non dicitur notabile, sed sit proximum termino edicti, puta per duos, aut tres menses. 2. Quod revelatio tunc creditur profutura, præsertim si adhuc causa pendet.

51. Illud certum mihi est, quod mortuo Superiore, etiam Papa, intra terminum edicti, expirat edictum; pariter, si Superior jurisdictionem amittat, Leander *de consens. tract. 1. disp. 4. q. 23.* Tancredi *cit. n. 5.* quia mandata Superiorem, quibus jurisdictio non confertur,

expir-

expirat mortè mandantis, five res sit integra, five non, quando non dantur per modum legis universalis, sed simplicis præcepti: Tum quia censura lata ab homine sub conditione, v. g. si non revelat intra quindecim dies, non ligat, si moriatur iudex ante impletam conditionem; nam non censetur ferri, nisi quando impletur conditio; adeoque, cum tunc non existat, Iudex eam ferre non potest.

52. Si vero censura fuit contracta ante Judicis mortem, non tollitur per ejus mortem; censura namque semel contracta, non tollitur per Judicis mortem, sed per absolutionem, quæ non pendet ab existentia Judicis: *v. n. 48.*

NOTITIA.

53. **N**emo denunciare tenetur ea, quæ certo non sciat, alias exponeret se periculo levitatis, & patientem damno, quod forte injuste pateretur, & propterea edicta loquuntur de scientibus. Scire autem est, veritatem visu, vel alio corporis sensu perceptam vere, & realiter mente retinere. Hinc non tenetur quis denunciare, quæ audivit à personis levibus, vel si à persona gravi, & fide digna, non recordatur à quo; nec tenetur denunciare, quæ audivit à personis ignotis; neque ea, quorum levem habet suspicionem; quia tunc non dicitur ille notitiam habere, & Superior in ea incertitudine ad nihil potest prudenter procedere, Bonac. *tom. 1. cit. pag. 892. num. 1. hic num. 592.*

54. Non tenetur denunciare, qui audivit ab eo, qui denunciavit, aut vult denunciare: nec quando probabiliter, & prudenter credit denunciationem nil profuturam, nempe Superiorem nullum remedium esse adhibiturum, Bonac. *cit. num. 2.* quia nemo obligatur ad opus inutile.

NOTITIA.

Ex injuria, aut secreto.

55. **N**on tenetur quis ex vi edicti denunciare, quod scivit per injuriam, quatenus, v. gr. litteras aperuit, aut alium ad revelandum coegit; quia nec tunc legitime interrogatus testari tenetur, Busemb. *leg. 8. c. 2. dub. 6.*

56. Nec quod scivit sub secreto naturali, vel ratione consilii, aut auxilii poscendi causa, puta si sit medicus, obliatrix, advocatus, probator, &c. etiam si de auctore præcesserit infamia, semiplena probatio, aut indicia, nisi id sciverit alia via; quia Superior nec in-

tendit, nec potest aliquid præcipere contra jus divinum, aut naturale; jus autem naturale exposcit, ut miseri non inventur confilio, aut auxilio, nec illa mala sequantur, & consequenter sub mortali, & onere restitutionis exposcit, ut secretum naturale revelare, nisi iusta, & rationalis causa aliud possit.

57. Talis causa est damnum Reipublicæ, aut tertie persone private; pendens in futurum, quod aliter reparari non potest, vel occultum impedimentum matrimonii; in his namque casibus tenentur medicus, obliatrix, advocatus, &c. revelare secretum, etiam si juramento promiserint non revelare, Bonac. *cit. pag. 894. d. num. 1.* Aret. *in pract. crim. pag. 164.* Melphi *in pract. crim. ver. Testis*, & Com. quia jus naturale innocenti, ne grave damnum patiarer, prævalet juri naturali, quod habet nocens, ne reveletur; eo præsertim, quia pro constat illud Proverb. 24. *Evae illos, qui ducuntur ad mortem;* ex quo fit, ut teneatur aliorum pericula, quando possumus, evitare.

58. Excipitur secretum sacramentale confessionis, quod omnino est servandum, etiam si ex ejus revelatione salus rotius mundi pendet.

59. Ubi nota, id, quod nonnulli ignari genullexi, & signo Crucis se signantes proteitari solent, se dicere in confessione, non cadere sub sigillo sacramentali, sed naturali; cuius violatio sine iusta causa est peccatum mortale, sed non sacrilegium, cum illud non sit sacramentum; quod tunc habetur, quando quis accedit ad Confessarium, & cum eo confititur omnia sua peccata cum intentione se accusandi.

Delictum, quod probari non potest, aut notorium delinquentis occultis, vel occultum occultis.

60. **N**on tenetur quis denunciare, quod in iudicio probari non potest; quia quod probari non potest, se habet, ac si nesciretur, Bonac. *cit. pag. 893. numer. 4.* quod inde concludit, eum, qui furtum vidit à fure committi nullo alio præsentè, non teneri illum denunciare; bene vero, si habeat unum stemem omni exceptione majorem; aut si probabiliter patet, delictum ab aliis sciri: *vide num. 67.*

EXCEPTIO.

Excipiuntur crimina nonnulla, quæ quis denunciare tenetur, etiam si probari non possint, & sunt.

1. Impedimenta matrimonii.

61 Denunciare tenentur sub mortali impedimento matrimonii, etiam si sint occulta, & probari non possint, tam scientes, quam ipsi contrahentes, Bonacina *cit. pag. 893. n. 5.* & Com. contra Pontium *l. 5. de Matr. c. 24. n. 5.* & alii; quia hæc revelatio est ad vitandum malum spirituale futurum, nempe peccatum mortale inter conjuges, & injuriam Sacramenti; quoniam denunciatio unius sufficit ad matrimonium impediendum: ex *c. Presbitero, de sponsalibus*; tunc quidem Parochus superfedere debet, utquequo diligenti inquisitione peractâ, veritatem reperiat.

Si vero contrahentes super impedimento dispensationem obtinuerunt, tunc neque ipsi, neque alii scientes, illud manifestare tenentur, quia est frustra.

2. Crimina in bonum publicum.

62 Crimina contra bonum publicum, videlicet contra fidem, tam de heresi, quam de suspectis, *nu. 606.* sunt profanationes, sacrorum, dilapidatio bonorum Ecclesie, duellum, proditio patriæ, crimen læsæ majestatis, falsificatio monetæ, conspiratio in Principem, vel Superiorem, ejusque percussio, homicidium, fubornatio in electione, simonia, latrocinium, seu furtum famulosum, & publicum, Bonac. *cit. pag. 893. n. 5.* Tamb. *lib. 9. dec. 2. §. 4.* Ameno *p. 517.*

63 Latrocinium à furto differt; latro enim dicitur, qui oblidet vias, quique conspirat deprædari, quos potest.

64 Hæc dici solent crimina exceptivata, & publica, non quia publice facta, sed quia in Reipublicæ, seu communitatæ, aut Religionis detrimentum redundat, ut patet de concurrenti per singula in propriis disputationibus; seu privata dicuntur, quæ solius private personæ damnum important, ut gula, ira, superbia, contumelia, &c. Melphi *in præct. crim. ver. Denunciatio*; priora namque etiam si sint occulta, habent rationes peculiare proprias, quibus lædant publicum bonum, & præsertim crimina contra fidem sunt contra Deum, Religionem, & Republicam: *v. n. 614.*

65 Verum tamen est, nonnulla crimina, ut furtum, fornicatio, adulterium, sodomia, &

similia, quæ in se sint privata, evadere publica, seu contra bonum publicum, si sint publice, nempe cum scandalo, & malo exemplo aliorum: & pro his solent monitoria concedi, ut reveletur occultus delinquens noteri criminis, & tanquam punitioem intendunt; nam ut notat Ameno *in præct. crim. pag. 385. num. 4.* bonum communitatæ obtinetur, quando malus in aliorum exemplum punitur: *v. n. 38.*

3. In damnum tertii.

66 Excipitur tertio crimina, quæ sunt in damnum private personæ, ex quibus pendet effectus in futurum, qui aliter reparari non potest, Doct. *cit. v. g. si Petrus, te solo presente, paravit Paulo venenum, quod Paulus advertit: Petrus autem esset firmus in dando venenum; tunc teneris ex videlicet denunciare.*

67 Eadem ratione puto contra Bonac. *nu. 60.* *cit.* te teneri denunciare furem, quem tu solus furantem vidisti, præsertim si damnum est irreparabile, puta si sit, aut futurus sit potens ad restituendum, quia tunc effectus pendet infuturum, nempe damnum reparandum; mihi favet Tamb. *l. 9. Decal. c. 2. §. 4.* & apud ipsum de Lugo, quoniam hæc impunitas est perniciosa, nedum private personæ, sed ipsi Reipublicæ; nam hujusmodi scelerati scientes se non denunciandos ex defectu probationis, aut quia sunt occulti, possent sine timore pæne furta & homicidia committere, cum non deficiat eis calliditas, ac medium ad talia crimina occulte patranda: *v. n. 76.*

68 Insuper ipse Bonac. cit. fatetur, ad onus denunciandi sursum sufficere, quod possit probari per unum testem omni exceptione majori. Testis omni exceptione majori idem est, ac testis idoneus, cui nihil potest opponi, Melphi *ver. Testes*; unus autem testis de visu omni exceptione majori, facit semiplenam probationem, quæ sufficit ad constituendum reum, Melphi *cit.* cuius si accedat confessio, delictum est plene probatum de auctore; & statim subdit, quod ipse denunciatus in hac materia, & in casibus difficultis probationis valeat pro teste, *ex cap. in omni de testibus.*

69 Quod si velis cum Bordon. *part. 3. ref. 101. n. 15.* quod talis testis ob duplicem rationem officii non facit semiplenam probationem, sufficientem ad constituendum reum, & sic eum examinandum, & negantem torturandum; sufficit tamen (ut Bord. concedit) ad inquirendum contra denunciatum, ad illum capiendum, & examinandum; item sufficit, ut prudens Superior, & iudex diligentias adhibeat ad malum futurum vitandum.

aut

aut reparandum; insuper ad explicanda indicia, & adminicula, aut clamorose infamiationis, & testis sufficit ad constituendum reum, atque ad torturam.

70 Denique si monitorium præcipiat solam testificationem, tunc prædictus, qui solus vidit furem furantem, erit testis omni exceptione major, semiplenam faciens probationem: *v. n. 73.* quia non habet duplicem officium.

Ac proinde concluditur, quod præfatus, qui solus vidit, tenetur revelare furem, five monitorium præcipiat denunciationem, five testificationem, Bord. *cit. num. 53.*

71 Ex his colligitur, quod nedum reus occultus noteri criminis, quod probari non potest, verum etiam reus occultus occultis criminis, quod potest probari, sit iudice denunciandus, si redundet in Reipublicam, vel innocentis, grave damnum, quod aliter vitari non potest.

72 Delictum occultum in iure dicitur, quod quamvis sit dubius, vel tribus notum, de eo nulla existit infamia, seu non est sparsus rumor, Melphi *in præct. crim. ver. Inquisitio*; unde stat, quod delictum possit probari, & quod sit occultum.

4. Testificatio.

73 Quando monitorium non præcipit denunciationem, sed testificationem, tenetur quis revelare iudice delictum, etiam si probari non possit, Bonac. *cit. pag. 893. nu. 5.* Lazarus *de monit. sect. 2. q. 11. n. 12.* Bord. *p. 2. ref. 101. n. 49.*

In hac re oportet prius videre, quando monitorium vocet quem, ut denunciatores, quando præcise, ut testem: rem clare explanat Lazarus apud Bordon. *cit. n. 51.* vel enim iudex utitur verbo *denunciare*, vel verbo *testificari*, & tunc res est clara; vel utitur verbo indifferente ad utrumque, *v. g. dicere, revelare, notificare, propagare, &c.* & tunc si agatur civiliter, verba interpretantur pro testificatione: si criminaliter respectu causæ non inceptæ, interpretantur pro denunciatione, quia sine pravâ accusatione, denunciatio, aut clamorosa infamiationis, iudex non potest vocare testes, & de delicto inquirere: si causa sit cepta, verba interpretantur pro testificatione, quia supponitur facta accusatio, denunciatio, aut infamatio delicti, ac proinde iudex indiget testibus: eadem ratione, quando aliquis citatur in individuo ad revelandum, citatur ut testis: in dubio est præsumendum, quod iudex velit testificationem, & universaliter, quando Superior visum, & præcedit ex officio per edictum, vel denunciatores: qui quando vero procedit via ac-

cusationis, aut denunciationis, five specialis, five generalis, aut clamorose infamiationis, seu infamiae, tunc vult testem. Ita ille, hoc præmissis.

74 Probatur resolutio. 1. Quia monitoria non conceduntur, nisi constet de corpore delicti, ignorato auctore, & ulterius conceduntur ad instantiam partis, instantia autem partis gerit vicem accusationis, & præsertim corpus delicti notorium gerit vicem accusatoris, excitans iudicem, ut procedat ex officio ad inquirendum de auctore occulto delicti. Aret. *in præct. crim. pag. 152. v. hic, num. 76.* Com igitur iudex in his casibus habeat jus ad inquirendum de auctore occulto delicti notorii, potest edictum edere, quo sub pena excommunicationis præcipitur, ut qui scit auctorem delicti, ver. gr. furem, aut rei detentorem, illum revelet, & consequenter ille, qui scit, etiam si solus sciat, tenetur cum revelare: nam jus Reipublicæ ad inquirendum, & obligatio testis ad revelandum, sunt correlativa. 2. Quia testis non tenetur probare delictum, sed folum revelare, quod ipse scit; igitur revelare tenetur, etiam si solus sciat, & five iudex procedat ad instantiam partis, five per notificationem factam per fideicem, five ex commemoratæ delicti: *v. n. 101. & 102.*

Pro cuius rei maiori dilucidatione, sunt due resoluendæ difficultates.

Prima difficultas.

75 AN, quando delictum est notorium, & delinquens occultus, ita ut non procedat contra eum indicia, aut infamia, possit iudex procedere, & delinquentem inquirere?

Negat Sotus apud Aret. *in præct. crim. pag. 107.* Cajet. Nav. Sylv. & alii apud Bordon. *ref. 101. num. 46.* qui consequenter dicunt, testem interrogatum non teneri respondere, si non præcellerant infamia, aut indicia. 1. *ex cap. Cum oportet 19. Nisi super prædictis sumam ipsius, scilicet persone, lesam esse novovitis, vos ad inquisitionem non subito procedatis. 2. ex cap. Inquisitionis 21. Nullum esse pro crimine, super quo aliqua non laborat infamia, pœnendum. 3. ex cap. Qualiter 24. de accusat. Si super excessibus suis quisquam fuerit infamatus, tunc procedendum est ad inquisitionem.*

76 Resp. tamen, posse vere iudicem procedere ad inquirendum delinquentem occultum, procedendo tamen per viam generalis, & non specialis inquisitionis: & tunc teneri testem sub mortali respondere, & re-

ve-

velare Villalobos tom. 2. tract. 14. dist. 7. num. 2. Aret. cit. pag. 108. Miranda de ordine iudicario to. 1. q. 6. art. 6. concl. Ameno in pract. crim. pag. 440. num. 10. & pag. 445. n. 12. Bord. cit. Ray. naudus part. 1. cap. 3. quæst. 7. de monit. & alii apud Tancr. infra num. 81. Ratio est 1. Quia ipsa evidentiæ facti habetur pro accusatore, ex cap. Evidentiæ extra de accusat. Evidentiæ parvati criminis non indiget clamore accusatoris: Nam ipsa evidentiæ delicti clamat apud Judicem contra delinquentem occultum; iuxta illud Gen. 4. Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. 2. Quia talis inquisitio generalis juridica de occulto auctore notorii criminis, cedit in bonum communis, atque illud intendit; nam si non posset iudex generali inquisitione de illo inquirere, quamplura gravia delicta impunita remaneret; quod redundat in damnum publicum, & in scandalum aliorum, qui sciente Judicem nullo modo posse contra ipsos procedere lene infamia, aut indicia, animosiores redderent ad gravis crimina occultum patrandi, v. nu. 67. ac proinde potest de auctore generaliter inquirere iudex, ut communis sibi commissa non perturbetur, & securus vivat: v. n. 74.

77. Quoddid verum, ne dum quando delinquens est occultus, sed potest probari, puta quatenus adfuit alii testes: v. n. 72. verum etiam quando est occultissimus, quatenus non adfuit alia indicia; nec est alius, qui eum furantem, aut occidentem vidit, nisi unus, ex num. 66. ad 71. contra Aret. in pract. crim. pag. 102. oppositum tenentem de delinquentem occultissimum, quem unus solus vidit.

78. Facta autem inquisitione generali juridica, & vi ejus revelante delinquentem eo solo, qui vidit: aut per diligentiam Judicis inspectis indicis aliquibus contra ipsum auctorem; tunc potest, & tenetur iudex per inquisitionem specialem procedere contra illum, & tunc erunt due inquisitiones, generalis una, & specialis altera contra personam, Aret. cit. pag. 110. tum quia denuntiatio jurata æquivalere infamiam, Ameno pag. 395. adeoque ea habita, potest iudex ex officio procedere etiam per inquisitionem specialem.

79. Nec obstant relati Canones, qui expresse loquuntur de inquisitione speciali, quoniam signant specialem personam, minime de generali inquisitione; ad specialem autem inquisitionem omnino requiritur, quod præcedant indicia, aut infamia contra auctorem delicti; minime ad generalem, ad quam sufficit ipsa notorietas delicti.

80. Per specialem inquisitionem iudex procedere dicitur, quando inquiritur de speciali persona, & obligat alios ad revelandum illam; tunc vero dicitur procedere per generalem inquisitionem, quando in monitorio præcipitur, ut qui scit auctorem delicti, illum revelet; aut quando vocat specialiter omnes, aut plures de vicinia, Monasterio, &c. ut reveleat auctorem delicti; tunc enim, licet specialiter revelatores nominet, generaliter auctorem delicti inquiri.

81. Meam sententiam tenet Tancr. tom. 5. et. 5. qu. 19. n. 1. & 5. eamque probabilior fatetur Diana p. 2. tract. 15. ref. 63. quoad jus Judicis ad inquirendum delinquentem occultum notorii criminis. Nihilominus ea non obstant, docent alii, quod non tenetur quis revelare delinquentem occultum notorii criminis, nec inde incurat censuram in monitorio latam, nec testis in tali casu tenetur respondere Judici; quia probabilis & tuta est opinio Cajet. & Soti, quod non possit iudex, & Superior legitime præcipere, ut reveleat occultus delinquens, ut idetur bellum utrinque justum, quatenus iudex in hoc casu habet jus interrogandi, & reus, aut testis non respondendi, ac sciens non revelandi; ita etiam sentiunt Lessius, Fillucius, Turrianus, & Bon. apud Tancr. cit. A mea autem sententia affirmativa discedere non valeo, quia (ut rite advertit Bord. p. 3. resp. 101. num. 4.) opinio negativa opposita est fundata in telibus haud bene intellectis, ut ostendit n. 79. quoniam loquuntur de inquisitione speciali, ut fatetur Diana cit. Tum quia frustranea esset facultas in Superiore procedendi per inquisitionem specialem, aut generalem, si Superiore generaliter inquirente auctorem occultum delicti notorii, subditus obedire non teneretur.

Secunda difficultas.

82. **A**N idem possit esse simul denunciator, & testis? Negant Cajet. Valen. Arag. & Peyr. apud Bord. p. 3. ref. 101. num. 52. quia idem non potest esse accusator, & testis in eadem causa: hinc accusator est testis inhabilis, ex cap. Forus, de ver. signific. Tum quia in eadem causa idem non potest habere duplex officium, Gloss. fin. cap. In super. 6. de testib. quia unum officium vigi digne valet aliquis adimplere, cap. 1. de consuet. in 6.

Relp. posse Rod. tom. 2. q. 13. art. 6. Bord. cit. n. 53. & apud ipsum Spatharius, Less. Nav. Trimarchus. Probatur 1. ex c. in omni negotio 4. de testibus. Principalis persona, dicitur

tenet veritatem de se sibi nera, nullissimo habenda est pro teste, cui adhibito uno officium duo testes: & ibi id probat Paschalis Papa ex Euang. Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripit eum, & si ipsum solum: si se audierit, increpaveris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum alios duos, aut tres, ut in ore duorum, vel trium testium steterit verbum. Ubi, ut videt, ille, qui corripit fratrem, & postea illum denunciatur, vocatur testis; nam ex ore Christi, si unum tecum adhibes, estis duo testes, & si duos, estis tres testes; igitur qui denunciatur, est testis, si deponat eo modo, quo debet testis.

2. quia nullum jus requirit, denunciatores debere esse personam a teste distinctam: non jus naturæ, aut divinum, ut liquet ex Euang. cit. non jus civile, aut canonikum, cum nullum reperitur, quod id præscribat, sed potius, quod præscribit oppositum; uti supra. Imò hoc maxime cedit in bonum Republicæ, quæ melius gubernatur, & conservatur, si delicta puniuntur.

3. Non obstant rationes in oppositum. Non 1. quia inter accusatores, & denunciatores manifesta est disparitas, nam accusator profertur suam causam, principaliter punitionem sui iniuncti intendens, ac proinde generaliter iudicæ aliqualem suspicionem, quod non procedat ex zelo justitiæ, sed ex odio; hinc habet in se onus probandi per testes distinctos. Denunciator vero non prosequitur causam propriam, sed communem Republicæ, ac proinde non generat in iudice suspicionem de odio, sed præsumitur, quod revelet delictum proximi, ut satisfaciatur præcepto, & ut poenam spirituales, aut corporales effugiat; hinc iudici relinquit onus probandi.

4. Nec 3. quia ibi, ut patet, est sermo de officis disparatis, difficultates, & vires diversas pro executione exigentibus; denunciatio autem, & testificatio non sunt hujusmodi, sed subordinata. Potest igitur idem, qui denunciatur, assilium ut testis, faciendo eum deponere eo modo, quo debet testis.

85. Ex resolutione igitur hujus, & prioris difficultatis concluditur, quod ex vi monitorii tenetur denunciator notorii criminis delinquentem occultissimum revelare, etiam si solus sciat, non sint alii testes, quibus delictum possit de auctore probari, Bord. cit. n. 41. 55. & Doct. cit. n. 74. quia in his casibus denunciator assilum ut testis, qui proinde non habet in se onus probandi: v. n. 74.

86. Dieta hæctenus ad n. 62. maxime procedunt quoad crimina immania, seu excepta, aut difficilis probationis, in quibus quidem

etiam testes inhabiles admittuntur, ne delicta impunita remaneant, & sic in perniciem transeant aliorum. Melchi in pract. crim. v. Testes.

87. Crimina immania numeramus n. 62. crimina difficilis probationis sunt, quæ solent occulte patrari, v. g. furtum, sodomia, adulterium, fornicatio, conjuratio, &c. item quæ noctis tempore committuntur: in his, inquam, admittuntur testes inhabiles, quando aliter veritas haberi non potest. In dubio autem, arbitrio Judicis fiat determinare casum, in quo veritas aliter haberi non potest. Ameno pag. 17. et. 5gro.

QUÆRES I.

88. An sit prævitanda correctio fraternalis, si frater emendatus speretur? Et an si sint qui delinquentem esse emendatum, tenentur eum ex vi monitorii denunciare?

89. **C**ertum est 1. (ut advertit Ameno p. 387. n. 8.) correctioem solam habere locum, quando delictum habet tractum successivum, quatenus pendet in futurum, vel quoad aliquem effectum liberum, ut est furtum, quod relinquit onus restitutionis; vel quoad ejusdem delicti continuationem, ut est fornicatio in habituato, ac recidivo: non habere autem locum, si nil reliquit mali liberi in futurum, ut contingit in proximo, qui seculi cecidit in fornicationem, & propterea furtum, &c. sed le emendavit.

90. Certum est 2. ex n. 612. præmittendam esse correctioem fraternali in denunciatione paterna, si correctio profutura speretur, alias minime, quia correctio fraternalis est de jure naturalis, & divino, ex illo Math. 18. n. 81. unde non debes paternè denunciare fratrem, si speres eum correctioem emendandum, & præsertim si emendatum videris; quia tunc jam lucratus es fratrem tuum.

Hinc non obstat Viſitatoris præcepto de denunciandis filiis in visitatione delictis, non potes fratrem denunciare, si videris eum emendatum, aut si probabiliter spes per correctioem fraternali emendandum; Joan. la Cruz & Præ. art. 2. n. 1.

91. Correctioem non profuturam dignoscet ex circumstantiis, puta si scias, delinquentem esse superbum, vel ab aliis dignitate, & tui inferiori conditione iudices eum fore tui correctioem speratum, &c. Tum quidem correctioem relicta poteris sine peccato eum, sine paternè, si ve judicialiter, denunciare. Ameno cit.

92. Difficultas procedit in denunciatione judiciali: pro qua sententia, quam tantum communi referit, & sequitur Aret. in pract.

præf. crim. cap. 166. docet, neminem teneri auctorem delicti denunciare, aut contra eum testari, quando per inquisitionem proceditur, ut in monitoriis, etiam si illum sciat cum duobus, aut tribus aliis, non labore infamia, nec timeatur damnium in futurum, quatenus speratur privata correctio emendandus: imò addit Aret. tunc non obstat, si iudex pro revelatione urgeat; nam tunc erit quædam species belli utriusque iusti, dum iudex iuste testem urget, & testis iuste negat; quia iudex urget, ut satisfaciat Reipublicæ, quæ exposcit, ut diligens inquisitio fiat, ut sic malefactores vincant, & coercantur, minime, ut in tali casu revelentur; & testis iuste negat, quia iam lucratus est fratrem.

Cui Melphi in præf. crim. ver. Denunc. in addit. consequenter subdit: In denunciatione judiciali quoad peccatum commissum, & iam emendatum, ille tantum tenetur denunciare, cui ex officio competit, qualis est fiscalis, ad quem tanquam ad partem Reipublicæ id spectat, cap. Novit, de iud.

93 Ubi notat Ameno pag. 387. quod licet, & quod denunciaret non præmissa correctione fraterna, quando emendatio speretur, peccare contra iustitiam, & quidem mortaliter, cum Tamb. l. 9. Decret. c. 8. 4. n. 9. si delinquentis esset persona conditionis gravissimæ, & præsertim si delictum esset occultum, & quævis posset probari per alios testes, quatenus infamaretur proximus sine fructu; & denunciatio tamen esset valida ad processum formandum, quia tunc juratilliant, non invalidant denunciationem.

94 Resp. allatam sententiam esse veram, quando denunciatio, aut testificatio exigitur, ad reparandum, aut impediendum malum futurum; minime quando præcipitur in poenam delinquentis, Bonac. in Bullam Cæna; disp. 1. g. 12. punct. 3. num. 15. Diana pars. 9. tract. 1. ref. 89. & Alerius apud ipsum sequitur ex n. 606. quia tunc præceptum Superioris non intendit præcise fratris emendationem, sed etiam principaliter publicam ejus punitionem in bonum publicum, nempe ad aliorum exemplum, coercionem, & securitatem, quod prævalet bono privato famæ fratris; quapropter tunc etiam supposita emendatione fratris, adhuc salvatur, quod non infametur proximus sine fructu.

Quam limitationem videtur amplecti ipse Melphi cit. dum inquit: In judiciali autem denunciatione, si delicta sunt publica, & exceptio, correctio charitativa non est necessaria.

Delicta exceptuata esse contra bonum publicum, diximus n. 64. unde consequenter te-

net, quod etiam non præmissa correctione, in non obstante emendatione, adhuc sit facienda denunciatio, quando ista præcipitur in punitionem delinquentis, atque inde ob bonum publicum.

*95 Clarior ergo: quando iudex intendit solam emendationem, aut satisfactionem partis, facienda est correctio fraterna, si emendatio speretur, juxta illud Matth. 18. *Corripio tuum in te, & ipsum solum*: non enim potest proximus infamari, si non ad sit necessitas, & rationabilis causa; & emendatione, aut satisfactione partis habita, jam est satisfactio Superioris intentioni; imò correctio est facienda iterum, atque iterum, pydenti iudicio, quamvis iterum expiret terminus, Bonac. tom. 1. disp. 6. de d. n. n. pag. 896. n. 4. quia terminus edicti non incipit, nisi post adhibitam opportunam correctionem; adeoque differens denunciationem pro facienda opportuna correctione, non est in periculo, ut incurrat censuram per termini expirationem. Edicta enim sunt benigne interpretanda, unde non est credendum, ut iudex velit denunciationem, quando emendatio fratris per correctionem speratur: fratrem periculum sit in mora, v. g. si fur interim fugerit, statim facienda est denunciatio.*

*Quod si facta opportuna correctio, emendatio non habeatur, facienda est denunciatio delinquentis, etiam si nulla infamia, accusatio, aut semiplena probatio præcesserit, juxta illud, quod sequitur in Euang. Matth. *Quid si non audierit eos, dic Ecclesie*: Nam tunc potest iudex denunciationem præcipere ad consulendum delinquentis fratris, aut bono proximi, licet exponatur periculum delinquentis famæ; quoniam adei rationabilis causa, Bonac. cit. n. 2.*

*96 Quando verò iudex intendit etiam poenam, tum facienda est denunciatio, nulla præmissa correctione, & etiam si delinquentis sit emendatus, quando delictum est publicum & imò etiam quando est occultum, & nulla præcessit infamia, accusatio, aut semiplena probatio, si cedat in damnum publicum, fidei, aut innocentis, Bonac. cit. Potestas namque est à Deo destinata, nedum ad emendationem delinquentium, sed etiam ad ipsorum vindictam juxta illud Pauli ad Rom. 13. *His autem non timere potestatem bonam fac.* & habetis laudem ex illa; *Dei enim minister est tibi in bonum: qui autem malum fecerit, time: non enim sine casu gladium portat: Dei enim minister est, vindicæ in iram ei, qui malum agit.**

97 Posterioris generis sunt denunciationes ad edicta Inquisitorum, v. n. 606. prioris verò generis regulariter sunt denunciationes ad

edi-

edicta Papæ, & Episcoporum, protelus, aut scripturis deperditis, ablati, vel occultatis, in his namque præscriptis revelatio ad finem resistitur, & reparationis damni quo habitio, live intra terminum, live per correctio nem fratrem, live alia via, jam habetur fructus intentus, ac proinde monitorium non ligat scientem ad revelandum. Tum quia censura est poena spiritualis medicinalis, adeoque præsumitur lata ad emendationem peccatoris.

Dixi, regulariter, non universaliter, quia aliquando dari possunt casus, qui non sint fidei, in quibus Papa, Episcopus, &c. in suo edicto punitionem delinquentis intendunt in bonum publicum: hujusmodi est casus à n. 12. resolutus, & alius, qui sequitur: ex quibus sufficientia colligere potes exempla.

QUÆRES II.

98 An teneatur quis confessionem in Cardinalem revelare, non præmissa correctione fraterna, etiam si ex illa emendatio speretur?

*S*olucio est, 14. Kalendas Januarii 1596. occasione mortis contra S. Carolum Borromeum attentate, fuisse editam à Pio V. contra scientes, & non revelantes, Bullam tenoris sequentis.

PIUS EPISCOPUS, &c.

In felici saculi, &c. statuimus, ut quisquis etiam à nudo consilio, aut simpliciter, aut omnino à ceteris prædictis alienus, quempiam autem, administratum, vel consistorium conjurationis, seu conspirationis, aut commissi, committendive criminis in personam Cardinalis, illorumve sustentem, receptorum, vel occultatorum, seu ex renunciatione sibi proximi, vel per interpositam personam, aut literas falsas, cognoverit, seu ex scripturis, aut, conatus, concursu, insidiis, abis, que figitis, & indicis, qualemcumque scientiam habuerit, vel etiam conjecterit, quive horum quidpiam intellexerit, quantumcumque res aliis occulta sit, & quod præmissum Rom. Pontifici, si in curia fuerit; in autem, Ordinario loci, vel si Cardinalis ipse Ordinarius existierit, propinquiori Episcopo: & si crimen nondum commissum fuerit, etiam ipsi Cardinali preperet revelare, quicumque vero etiam non subditus, & omnino extraneus defecerit, cuiuscumque dignitatis fuerit, prædictis sit excommunicationis laqueo innodatus, pariterque Majoris sine infamiam, & omnes penes prædictos esse ipso incurrat.

Quæ excommunicatio est ex reservatis Summo Pontifici, excepto mortis articulo: hoc præmissis,

99 Duardus apud Dianam p. 9. tr. 2. ref.

89. negat, scientem teneri revelare reum, si per fratrem correctionem speretur emendatio, & periculum non sit in mora, ob rationem traditam n. 62.

100 Resp. adhuc teneri sub censura reum revelare, Bonac. in Bullam Cæna; disp. 1. g. 12. punct. 3. n. 15. Diana cit. & apud ipsum Alerius: quia finis præcepti nedum est reparatio damni, sed etiam punitio publica delinquentis in publicum exemplum; nam Bulla præcipit revelationem, etiam si crimen sit commissum, in quo casu non habet locum reparatio damni, sed punitio in bonum publicum.

101 Item præcipitur sub censura revelatio rei de delicto committendo, aut commisso, quantumcumque res sit occulta; per quod confirmantur dicta à n. 62.

102 Item pariter est sciendum, si quis occidisset, vel percussisset Principem, Patriarcham, Episcopum, Generalem, aut Provincialem, seu in eos conspisset, tunc, inquam, stante atrocitate facinoris in personas simili dignitatis, postquam iudex monitorium edere, quo scientem sub censura cogeret ad revelandum reum, quantumcumque res sit occulta, & nullis iudicis præcedebitis, aut infamia. Aret. in præf. crim. pag. 124. Ratio est, quia motum præfata Bullæ contra facinorā in Cardinaliales, fuit bonum publicum, &c. quod ubi exprimitur per hæc verba.

Quibus enim præfatio criminis, quibus suspexias asserimus, quæ deinceps suscipimus, si Templi Dei habet, si clarissima Ecclesiæ lumina, si Speciales fides, quæ per animabus populorum, pro fide, pro iustitia, seu unitate peraguntur, in quibus de summo? Quod motivum rite potest extendi ad Episcopos, &c. fuit enim per se publice, ministri Dei, Pastores gregis Christi, de quibus Apollolus ad Rom. cap. 13. Non est enim potestas, nisi à Deo, &c. itaque qui resistit potestati, & Dei ordinationi resistit: & ad Hebr. 13. Obstatis præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim pervergent, quæ rationem pro animabus vestris reddunt. Ac proinde facinora contra eorum personas, live committenda, live commissa, quantumvis occulta, non debent inulta remanere.

QUÆRES III.

103 Potius occultè necari uxorem sine nubendi cum consensu, mixta tamen voluntate nupti cum alia: Episcopus autem ad parvis inflantiam monitorium edidit, ut qui sciret autorem talis necis, sub censura revelaret. An illum scientem teneatur enim revelare?

Sciendum est, quod Iudex Ecclesiasticus inferior Papa non possit concedere monitorium, ex vi cuius sequitur mors, aut mutilatio, quoniam nec evaderet irregularis ex defectu lenitatis, utpote cooperatori mortis alterius: unde in causis criminalibus huiusmodi monitoria solent cum tribus clausulis concedi, 1. ut fidem non faciant, nisi civiliter, 2. ad detentionem tantum, 3. quoad interesse. Tancr. tom. 5. tit. 4. q. 19. n. 2.

104 Resp. cum Tanc. cit. vel enim Petrus est emendatus, quatenus relicto iam amore concubinae, quiete vivit cum nova uxore, vel non: si primum, non est revelandus; quia ex non est denunciandus, quando monitorium denunciationem precipit in emendationem, & reparacionem damni futuri, non in punitionem, ut in casu.

Si secundum, est revelandus; quia perdurante pravo amore, delictum habet effectum pendente in futurum, nempe periculum necis novae uxoris, & peccati mortalis, ac iniuria Sacramenti, si mortua nova uxore concubinam ducat; quoniam habetur cum ea impeditur criminis perseverans in futurum.

105 Nec ex tali revelatione facta Superiori Ecclesiastico, sequitur poena mortis rei, quod possit oblati; nam Superior Ecclesiasticus ea revelatione tantum utitur ad praefatum malum reparandum, non potest autem eam revelationem Iudici seculari tradere, quia sic evaderet irregularis, quatenus cooperaretur quasi testis in causa sanguinis; quae namque maior cooperatio in causa sanguinis, quam tradere Iudici seculari revelationem delinquentis, quae incipiat probare autorem delicti?

QUERES IV.

106 Quando quis vi monitorii tenetur revelare scripturas?

Respondens quassitum per lucidè distinguit Diana p. 9. tit. 8. ref. 48. ex Sayro, Raynardo, & aliis, ex quibus breviter

107 Resp. regulam generalem esse, ut tunc tenetur quis ex vi monitorii scripturas tradere, aut revelare, quando eorum detentio, aut occultatio est mortalis: v. n. 32. qualis non est, quando grave damnum timeat, quod praefertur debeat damnari alterius, quod ex non revelatione consequitur. Hinc

108 s. Si instrumenta sint publica, quae scilicet continent acta causae in iudicio, nempe interrogaciones, responsiones, confessiones, & tenetur ea reus tradere, & testis revelare;

quia spectant ad publicam iustitiam administrandam.

109 2. Si sint propria rei, quae scilicet spectant ad jus rei, & sunt de bonis ejus, non tenetur reus ea tradere, nec testis revelare; quia non tenetur quis, sine reus, sine testis, a iura contra se dare inimico. Tam quia monitoria intelliguntur lata contra retinentes scripturas alienas, & spectantes ad iura, ac bona actoris.

110 3. Si sint communia reo, & actori, videlicet, quae spectant ad jus, & bona utriusque, licet sint in possessione rei, tunc non tenetur reus ea tradere, nec testis revelare, si inserviant pro iure alterius contra jus proprium, quia sunt utriusque communia: & quando cetera sunt paria, melior est conditio possidentis.

111 4. Denique si instrumenta sint propria actoris, est distinguendum; vel enim detinet scripturam est certus de iure iustitia, & quod actor ea injulite utetur contra ipsum, ejus v. g. attentis potentia, & divitiis; & tunc eo durante periculo reddere non tenetur, nec id sciens revelare, non minus quam detinens gladium alterius, non tenetur illum restituere, si sit certus, aut magis probabiliter putet, quod sit eo uturus ad alium occidendum: imò restituendo peccat mortaliter contra charitatem: si igitur sub mortali ex charitate tenetur quando potest, impedire damnum spirituale, aut temporale proximi; multo magis tenetur impedire malum spirituale, nempe peccatum proximi, & malum temporale sui, & monitoria dantur ad impedienda, non ad fovenda mala. Dixi, si sit certus, &c. nam in dubio possessio stat pro creditore, de cuius bonis est scriptura, qui non est privandus sua scriptura ex dubia sui malitia; quoniam in dubio quilibet est praesumendus bonus. Vel actor habet jus, quamvis litigiosum, ad rem, in ordine ad quam inservit scriptura; & tunc omnino reus eam reddere tenetur actori, & sciens revelare, ad hoc ut actor possit jus suum prosecuti; quia tunc est injustus detentor.

QUERES V.

112 An habens transumptum, tenetur illud revelare ex vi monitorii de revelanda scriptura?

Resp. non tenetur; Bonac. tom. 1. disp. 6. de depono. pag. 895. n. 8. & apud ipsum Sicut, & filluc. quia monitorium intelligitur scriptura illa, quae faciat fidem at complex transumptum, non authenticum, non facit fidem.

QUA.

QUERES VI.

113 An teneatur reus ex vi monitorii reddere actori scripturam propriam, ex qua sibi praesentat tunc notabile damnum?

Certum est, nomine damni hic non venire amissionem litis, & expoliationem bonorum, circa quae actor habet jus, & pro quibus suam inquirat scripturam; quia si ex vi scripturae restituta actor obtinet à iudice iustam sententiam, qua reus aliquibus polietur bonis, tunc reus non dicitur pati, sed refarcire damnum, quod revera, licet bona fide, intererat actori, ejus retinendo bona: unde nomine damni hic venit amissio boni, in quod reus habet jus, Diana p. 9. tit. 8. ref. 48. in fine.

Bona, in quae homo pati potest damnum, ex n. 39. sunt quatuor, animae videlicet, corporis, famae, & substantiae corporalis; quae bona ita se habent, ut unum sit altioris ordinis alio, uti gradatim ponuntur; bonum autem altioris ordinis praefertur debet bono inferioris ordinis, & sic bonum animae, & vitae, seu membrorum, praefertur debet bono famae, & bonum famae bonis temporalibus.

114 Resp. 1. Qui scripturam detinet, si eam possidet mala fide, quatenus eam abstulit, tenetur eam reddere, cum aequali suo damno, aut paulo majori, minime cum longe majori, Tamb. lib. 9. Decal. c. 3. §. 3. à n. 19. & apud ipsum Molina, Lessius, Azor. Val. Navar. Bonac. Ratio primae partis est, quia in aequali damno potior est ratio innocentis; tum quia injusta actio obligat ab amovendo damnum ab innocente, & ad ponendam aequalitatem, unde vita, tua vita, fama, tua fama, bona, tuis bonis sunt redimenda; idque etiam, si paulo majus esset damnum, quod timeret; quia parum pro nihilo reputatur.

Nec dicat, longe magis valere propriam vitam, aut famam, quam vitam, aut famam alterius; quoniam hoc est verum, ceteris paribus, quando scilicet uterque est innocens, ut dicam modo n. 116. minime quando tu es injustus; tunc namque longe magis est habenda vita, aut fama innocentis, quam nocentis.

Eadem ratione tenetur ad refarcienda omnia damna, & interesse, quae sunt vera, etiam ante monitorium.

Ratio secundae partis est, quia iustitia commutativa nil aliud vult, nisi ponere aequalitatem, & tu non teneris, nisi ad aequale, adeoque tunc exculaberis esse impotentiam ponendi aequalitatem; unde si ex traditione scripturae sequatur infamia, ad eam non teneris, si dam-

Examen Ecclesiasticum.

num alterius sit in bonis temporalibus, quia iactura boni superioris ordinis est longe major iactura boni inferioris, Diana p. 9. tit. 8. ref. 49. in fine. Pariter neque teneris, si damnum tuum sit circa bona ejusdem ordinis: sed notabiliter majus, puta si damnum alterius sit triginta aut eorum, & tuum quinquaginta.

115 Si autem potes tuum damnum, nempe tuam infamiam evitare, restituendo scripturam medio prudenti Confessario, aut amico occulto, omnino teneris.

116 Resp. 1. Qui scripturam detinet, si eam possidet bona fide, non tenetur eam reddere cum suo, aut suorum notabili damno, etiam minori damno alterius, Diana in sum. ver. Testis n. 6. Bulemb. lib. 4. de statib. c. 3. dub. 6. n. 1. Tamb. cit. n. 24. & alii apud ipsum: Quia cum lesio non fuerit culpabilis, restitutio non debet te obligare cum notabili tuo detrimento, quoniam lumen rationis dicitur, mitius esse agendum cum ledente sine culpa gravi. Hinc qui ex officio, v. g. medicus medetur, vulnerat, tenetur ex iustitia damnum reparare; non tamen cum tanto rigore, quanto tenetur ille, qui culpa vulneravit.

117 Si vero possit suum notabile damnum evitare, restituendo per se, aut medio amico gravi, & occulto, vel medio prudenti Confessario, tenetur id facere, quando advertit, non solum ex charitate, ut vult Bulemb. cum aliis (qui proinde, si id non faciat, excusat illum ad compendendam damna inde sequentia) sed etiam ex iustitia, Tamb. cit. n. 8. ibid. cap. 1. §. 9. n. 6. & c. n. 7. cum aliis; quia iustitia non solum praecipit, ne quis detur damni; verum etiam ut eam tollat, si ab eodem sit posita: ad eandem namque virtutem spectat, malum sibi oppositum non ponere, & tollere, si illud ab eodem subiecto, in quo est virtus, positum est. Hinc (aut Tamb.) si inculpate delicti venerunt, incendendi segetem, sed adiacentem, & incendium viget, quis te non obligat ad ex removenda, si potes, etiam cum aliquo tuo, non magno incommodo? Licet enim, si tertius aliquis possit, non tenetur, nisi ex charitate, tu tamen qui re ipsa, esto sine culpa, causam damni dedisti, majorem contrahis obligationem, quae major obligatio explicari non potest, nisi dicatur esse ex iustitia.

118 Ex quo sequitur, quod ille, qui scripturam bona fide detinet, si possit, accedente notitia, damna reparare, & restituere sine suo notabili detrimento, tenetur sub mortali, & ex iustitia id facere, etiam cum aliquo tuo non magno incommodo: quod si non faciat, tenetur ad omnia damna, quae sequuntur post advertentiam, non vero ad ea quae antea

K k